



Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1541. usque ad annum 1546

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1770

VD18 90118510

§. 115. Alia Congregatio de prædicandi facultate Regularibus concessa.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66615](https://nbn-resolving.de/urn:nbn:de:hbz:466:1-66615)

Hæc Dominici oratio de utilitate Sæcul. XVI.
scholasticæ Theologiæ omnium applau- A.C. 1546.
su fuit excepta, ac potissimum senten-
tia eo abibat, quod sacræ Scripturæ stu-
dium Monachis sufficeret.

§. CXV.

Alia Congregatio de prædicandi fa- cultate Regularibus concessa.

Die vigesima prima Maji habita est *Pallav. n.5.*
Congregatio, in qua Patres ad alia *6. & 9.*

Decreta progredientes præcipue de eo a-
gebant, vi cuius Episcopi ipsum ad po-
pulum dicere jubebantur. Hanc in
rem Pacecus admonuit: *Archiepiscopos*
pariter ac Primates esse nominandos, ne
ipsi cauſarentur postea, se in odiosis le-
gibus communi Episcoporum nomine baud
comprehendi: præterea appositam ibi
particulam eradicandam, quin declarabatur,
licere Episcopis etiam ex scripto id age-
re; tam enim disertam concessionem ni-
mis tenuem præferre opinionem de ip-
orum peritia, ajebat.

Placuit Patribus Paceci sententia;
nihilominus contra hujus Cardinalis o-
pinionem plerique judicabant, nullaten-
nus delendam esse poenam illis imposi-
tam, qui huic muneri non satisfecerint.
Idem quoque Pacecus censebat, Paro-

Hist. Eccles. Tom. XXXVIII. Oo chis

Sæcul. XVI. chis concedendum, ut Regularibus con-
A.C. 1546. cionandi facultatem in suis Paræciis
darent. Verum hæc opinio vehemen-
ter impugnabatur, aliis pronuntian-
tibus, instaurandam esse Adriani VI. Pa-
pæ Constitutionem, vi cuius Religiosi
absque Ordinarii licentia ad populum
dicere prohibentur: ait huic fente-
tiæ acriter obstitit Pacecus, parique stu-
dio Seripandus Regularium privilegia
propugnabat: opportune etiam Briti-
noriensis Episcopus Patribus hæc expo-
suit: *Revolverent animo, quam pauci Epi-
scopi ac Parochi idonei ac propensi forent
sanctissimo concionandi muneri: antea quidem
facultatem ad id sibi compararent, & postea
in deliberationem afferrent, an Regularibus
abroganda privilegia: Sunt certe, pro-
quebatur Antistes, prima decora Episco-
pis restituenda; sed pristina ac vera ipsorum
decora fuere, ut cum sacco pro indumento, &
cum baculo lecticæ loco incederent ad Evan-
gelium prædicandum; non ut vestium pom-
pam per opulentiam ostentarent, neque ut pin-
guescerent, seu potius per otii recordiam in-
tumescerent. Utcunque se res habet, Conci-
lii non est privilegia Romanorum Pontifi-
cum abrogare.*

§. CXVI.